

M. Michael Zeger

37.

DEO OPT. MAX. FELICITER ANNUENTE

De

PONTIFICIORUM
SACRIFICIO MISSÆ
EXERCITATIO ACADEMICA

MODERATORE

BALTHASARE CELLARIO
SS. THEOL. DOCTORE EJUSDEMQ. FACULT.

Professore Publico Ordinario & Seniore,
Superintendente item Generali.

Domino, Preceptore & Patrono summè colendo

Publicè proposita

In Illustri ad Elmum Julia

à

GEORGIO HEINRICO ILSENIO

EIN BECCENSI

D. XIX. Decembris

ANNO CIO IC IC LXIII.

HELMSTADI

TYPIS JACOBI MÜLLERI.

INCLYTÆ
REIP. EINBECCENSIS
ORDINI SENATORIO
VIRIS
Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimis
Dnn. **CONSULIBUS,**
SYNDICO,
CAMERARIIS,
EQVITUM MAGISTRIS,
PRÆTORIBUS,
JUDICII ASSESSORIBUS,
PATRIÆ PATRIBUS GRAVISSIMIS,

Prudentissimis item, Spectatissimis, Integerrimis,
Dnn. **DECEMVIRIS TRIBUNIS EXIMIIS.**

OMNIBUS ET SINGULIS
SUIS

Patronis, Evergetis, ac Promotoribus

CERTISSIMIS

Exercitium hoc Academico-Theologicum
in

Grati animi signum

Überiorem sui suorumq; studiorum commendationem
ulteriorisq; favoris & amoris incitamentum

Dedicat & Offert

Simulq;


cum imminente Novo Anno cuncta felicia,

Toti REIP. salutarem omnium Consiliorum suecessum

à DEO precatur

Civis ILLORUM Observantissimus

'GEORG. HEINR. ILSENIUS.



In Nomine JESU!

Præloquium.



Enerabile S. Eucharistiae Sacramentum à Christo Salvatore & Redemptore nostro inter alia & hunc in finem institutum esse, ut communicantibus unitatis ac charitatis Symbolum ac tessera existeret, patet è Pauli Gentium Doctoris verbis I. Cor. X. 17. *Quoniam unus est panis, unum corpus nos multi sumus, nam omnes de uno illo pane participamus.* Et rursus I. Corinth. XII. 13. *Omnis in unum spiritum potati sumus.* Verum tantum abest, ut salutaris hic à Christo intentus finis hodiè obtineri possit, ut potius Satanæ omnium inimicitarum ac dissidiorum Autoris vafricie, & hominū contentiosorum vecordia ac perversitate is planè in contrarium mutetur, & pacis ac Concordiae Sacramentum in contentio- nis ac Eridos pomum convertatur, gravissimis circa illud exortis erroribus satis superque id testantibus. Ut nihil jam dicamus de Reformatis, veram & realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in hoc Eucharistiæ Sacramento præfracte negantibus; in publicum prodire nunc saltim Pontificios jubemus, qui hoc Sa-

A 2

cre-

erosanctum Eucharistia mysterium adeò multis ac te-
tris abusibus & superstitionibus deformarunt, ut dubi-
um esse possit, num aliud religionis caput parem cala-
mitatem sit expertum. Papisticorum horum Erro-
rum, quorum alii sex, alii octo, alii duodecim recen-
sent, principales, reliquosque includentes duo sunt:
Unus propugnans dogma Transubstantiationis,
quo citra Scripturæ autoritatem ac Veteris Ecclesiæ
Consensum, imò cum multorum absurdorum introdu-
ctione statuitur, per Consecrationem substantiam sym-
bolorum panis & vini salvis accidentibus deperdi, eo-
rumque in locum corpus & sanguinem Domini succe-
dere; à quo dogmate tanquam divite errorum fonte si-
mul velut rivuli & Permanentia Corporis &
Sanguinis Christi extra sumptionem, Adora-
tio Sacramenti, & sub effusionis periculo Com-
munio sub Una, aliæque tricæ Scholasticæ suam
ducunt originein. Alter Pontificiorum circa hoc my-
sterium, si non gravior, non minor certè priore Error
est dogma de Missæ sacrificio. Docent vide-
licet, Sacerdotem quoties consecrat sub visibilibus si-
gnis pane & vino Christum Deo Patri in altari offerre
modo incruento, non pro vivis tantum fidelibus, eo-
rumque peccatis, pœnis, satisfactionibus, sed & pro de-
functis in Christo nondum ad plenum purgatis, imò &
pro Sanctis in cœlo degentibus, idque sacrificium verè
ac propriè dictum & eundem non quidem numero,
specie tamen actum sacrificandi esse cum eo, quem Sal-
vator in ara crucis peregit; Unde & Christo in Officio

Sa-

Sacerdotali Sacerdotes sive Missificos tanquam collegas vel pares adjungere, quin quod horrendum auditu est etiam præferre non verentur. Sic enim inter alios Jesuita Cornelius à Lapide Comment. in Cap. VII. ad Ebr. ad vers. 7. *sacerdos*, ait, *quatenus gerit personam Christi sacrificantis, quodammodo maior est Christo ipso sacrificato. In omni enim sacrificio sacerdos est major sua victima, quam offert.* Ad quam eorum doctrinam respiciens Lutherus scribit Artic. Schmalcald. part. II. art. 2. in Germanico textu, qui originalis est & ab ipso projectus: *Ich werde mich mit Gottes Hülffe ehe lassen zu Aschen machen / ehe ich einen Meßknecht mit seinem Wercke / er sey gut oder böse / lasse meinem HERRN und Heyland JESU Christo gleich oder höher seyn.*

Missaticum igitur hoc sacrificium, pro quo Regni Pontificii Defensores non minus hodiè, atque olim à Trojanis ac Græcis pro Helena certatum est, contendunt, tormentaque omnia, membrorum dilaniationem ac mortem ipsam pati, quam Missam missam facere malunt, uti Campegium Cardinalem ac Legatum Pontificium Augustæ dixisse, Lutherus cit. loc. refert, paulò accuratiùs expendere, inq; illius arcana & abdita, ingenii quidem viribus, aliquantò penitiùs inquirere, constitui. Esto igitur

§.I.

Cum nominis notatio non parum ad rei cognitio-
nem conferat, meritò nos de Papistico Missæ sacrificio
acturi à Missæ Nomine initium facimus. Illud igitur
quod attinet, sunt i. qui putant vocem hanc esse Ebraicam, & originem suam trahere à vocabulo θυσίᾳ quod

habetur Deut. XVI. 10, quorum tamen opinionem Bel-
karinus lib. V. de Eucharistia, qui primus est de Sacri-
ficio Missæ Cap. I. §. Sed non videtur &c. col. 928. edit.
Ingolstadt. de anno 1601. & Vasquez in part. III. Thom.
Disp. ccxxii. Cap. I. meritò rejiciunt. Vasquesii verba
ita habent: *Probabilis multò est, vocem hanc nullo modo
Ebraicam esse aut ab Ebraica derivatam; quod si enim vox
ista Ebraica in usu Apostolis fuisset, illam etiam Greci &
Syri, atq[ue] aliae nationes, retinuissent, ut retinuerunt alias
similes voces, ut Amen, Alleluja, Sabaoth, Osanna &c. Neq[ue]
viri docti lingua Ebraica, Origenes, Epiphanius, Justinus,
Hieronymus hac voce unquam utuntur, quod meritò admi-
randum videri posset, si ea vox esset Ebraica.*

§. II. Sunt 2. qui natales nominis Missæ petunt
ex Græca litteratura, idq[ue]; δοκτὴ τῆς μνήσεως descendere o-
Cit. Gerb. pinantur; Quæ tamen opinio Suarezio minimè pro-
Conf. Ca- batur: *Non est*, inquit, in part. III. Thom. Disput.
thol. lib. LXXIV. Sect. 3. verisimilis opinio, quia nullum ejus vocis
II. Spec. fundamentum in Græca lingua reperitur, neq[ue] usum ejus in
part. II. Græcis Patribus legimus.
artic. XV.

c. I. p. 1164 §. III. Sunt 3. qui illam pro Latina agnoscunt à
edit. Jen. Missione scilicet dictam, ut Missa idem sit quod Missio,
de a. 1636. quamvis hujus Etymologias non omnes easdem dent
rationes. Ita enim Hugo de S. Victore Tom. III. lib. II. de
Sacram. part. II. Cap. 14. *Missa dicta est quasi transmissa,*
vel quasi transmissio, eò quod populus fidelis per ministerium
Sacerdotis, qui Mediatoris vice fungitur inter Deum &
homines, preces & vota & oblationes Deo transmittat.
Ipsa etiam hostia sacra Missa vocari potest, quia transmissa
est primum scilicet à Patre nobis ut nobiscum esset: postea
à nobis Patri, ut apud Patrem pro nobis intercederet. Pri-
mùm

mùm à patre nobis per incarnationem, postea Patri à nobis
per passionem. Modo in Sacramento. Primum à Patre
nobis per Sanctificationem, qua nobiscum esse incipit, postea
Patri à nobis per oblationem, qua pro nobis intercedit. Vel
Missa dicta est sicut quidam putant ab emitendo: quia
tempore quo Sacerdos incipit consecrare corpus Domini, ca-
techumeni foras emituntur. Lecto enim Evangelio Diaconus
clamat: Si quis Catechumenus adest, exeat foras. Ca-
techumeni sacris mysteriis interesse non debent, quae non nisi
baptisatis & Christianis committuntur, sicut de quibusdam
qui Catechumenorum & nondum Renatorum typum gere-
bant scriptum est: Ipse autem Jesus non credebat se illis. *Joh. xxii. 3*
Haec enim Hugo. Nullum vero dubium est, quin po-
strema illa ab Hugone allata denominationis ratio cæ-
teris sit preferenda & præ illis acceptanda: *Antiquissima omnium Ecclesiarum*, uti Georg. Cassander in Cons.
Art. 24. de Missâ p.m. 155. refert, atq; in primis Romanæ Ec-
clesiae consuetudo fuit, qua voce Diaconi post Evangelij le-
ctionem non communicantes mittebantur, hoc est, abire
jubebantur. A quo solenni ritu, quo primum Catechume-
nis & non Communicantibus ante Consecrationem, & postea
fidelibus post Consecrationem & participationem, Mis-
sa seu Missio denunciabatur, Missæ nomen in vulgus ob-
tinuit.

§. IV. Cùm verò & Protestantes in Augustan.
Confess. sub init. artic. III. de Abusibus mutatis, con-
querantur, suas Ecclesias falsò accusari, quod Missam abo-
leant; retineri enim Missam apud se & summæ reverentia
celebrari; & in Apolog. initio iterum præmoneant,
se non abolere Missam, sed religiè retinere ac defendere;
tandemque his verbis concludant: *Hac de Missa brevi-*
ter

ter diximus, ut omnes boni viri ubique gentium intelligere queant, nos summo studio dignitatem Missæ tueri; nemini non manifestum esse potest, nomen Missæ πολύσημον esse, neque à Nobis & Pontificiis uno eodemque accipi modo. Operæ pretium igitur facturi videmur, si illius ambiguitatem ante omnia exponamus, ita enim & status quæstionis inter Nos & Pontificios planior & orthodoxyæ rei veritas magis fuerit perspicua.

§. V. Sciendum igitur est, Missæ vocem sumi I. Generaliter pro toto cultu divino publico, & Catechumenorum & Fidelium Missam simul includente, appellatione sumta ab unico illo, eoque ultimo actu, nempe Missa vel Dimissione Fidelium, qua à Veteribus totus cultus divinus publicus finiebatur. II. Specialiter pro parte saltim illa cultus divini posteriore, cui Catechumenis, pœnitentibus & Energumenis interesse non licebat, nempe pro S. Eucharistia Consecratione & distributione inter solos fideles facta, denominatione itidem sumta à Missa sive dimissione Catechumenorum, tanquam signo mox peragendæ Cœnæ Dominicæ. Sed de his duabus vocis Missæ acceptionibus quæstio non est, quando inter Nos & Pontificios de Missa controvertitur; nec quæritur, an Missa in ejusmodi significatis in S. Scriptura fundamentum habeat, adeoque à primitiva Ecclesia fuerit credita; hoc enim facile concedimus: Ita enim Latinis Patribus, Ambrosio, Leoni, Cassiano, vox Missæ accipitur pro Celebratione Cœnæ Dominicæ; hoc quoque sensu accipienda sunt verba Aug. Confessionis præced. §. allata, nempe retineri Missam apud nos Protestantes, & summa reverentia celebrari; servari usitatas ceremonias ferè omnes; Et Apologia:

Nos

Nos summo studio dignitatem Missæ tueri , priscæ scilicet istius, in qua non solum hymni canebantur, deprecatio- nes fiebant, Scripturæ legebantur & explicabantur, panis vinumque consecrabantur, sed etiam ad manducandum & bibendum distribuebantur ; cùm talem Missam ipse Dominus & Servator noster à suis discessu- rus in suæ mortis commemorationem instituerit, & usque ad suum redditum frequentari præcèperit. Post quā verò in Ecclesia Romana sicut alia, quæ ullo pa- cto potuerunt, ita quoque doctrina & praxis S. Eucha- ristiae ad ambitionem & quæstum Cleri Romani detor- queri, & in sacrificium propitiatorium transformari cœ- pit, ipsiq; Sacrificuli pro vivorum ac mortuorum peccatis, pœnis, sat satisfactionibus, aliisque necessitatibus of- ferre se, gloriari sunt soliti , nomen Missæ H. I. facto isti sacrificio est tributum, eò quod in illo eadem symbo- la externa, quæ in S. Eucharistia olim Missæ nomine in- digitata adhibebantur, adessent. Et in hoc sensu vox Mis- sa sumitur, quando h̄c inter Nos & Pontificios de Mis- sa Controversia agitatur, & verum κερόμενον statusque quæstionis in hoc consistit: *An S. Eucharistia sit talis Missa, qualem Pontificij somniant, hoc est sacrificium ve- rum, propriè dictum, incruentum, propitiatorium & impe- tratorium, in quo à Sacerdote Missifico sub benedicto pane & vino corpus & sanguis Domini pro vivis pariter & mor- tuis, eorumque peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necesitatibus ex Christi mandato verè ac propriè offre- ratur?*

§. VI. Non equidem negamus, Missam (liceat nunc ita sano sensu appellare Eucharistiam) non ra- rò ab Ecclesiasticis Scriptoribus sacrificium appellari,

B

sed

sed nec illud ignoramus, quod etiam notavit Dn. D.
Præses Disput. X. §. 7. super Concil. Trident. vocem
Sacrificii in Scripturâ diversimodè accipi, vel propriè, vel
impropriè. Sacrificium propriè acceptum notat immo-
lationem animantis factam in Dei cultum & obsequi-
um juxta ipsius Dei institutionem & mandatum. Quo-
sensu tria maximè illustria sacrificiorum Leviticorum
à Mose præscriptorum genera dantur, scilicet Holocau-
sta, Propitiatoria sive sacrificia pro peccato, & Pacifica,
eaque vel Eucharistica pro beneficiis impetratis, vel
Votiva & Spontanea pro iisdem impetrandis. Et tale
verum & propriè dictum sacrificium cruentam mor-
tem & passionem Christi, sacrificiis istis Veteris Testa-
menti præfiguratam, & in ara crucis reipsa præstitam,
fuisse perspicuum est ex Ephes. V. 2. Ebr. X. 12. Impro-
priè verò & figuratè sacrificia vocantur 1. Beneficentia &
Charitatis officia egenti proximo exhibita sive Eleemosy-
na; Ita Paulus cùm à Philippensibus, qui alias semel atq;
iterum, quo opus fuerat, miserant, nonnihil muneris
Epaphroditu internuncio accepisset, scribit, se accepisse
σομὴν εὐαδίας, Θυσίαν δεκτὴν, εὐάρεστη τῷ Θεῷ edorem bo-
ne fragrantiae, hostiam Deo acceptam & gratam, Philipp.
IV. 18. & Autor Epist. ad Ebr. XIII. 16. Beneficentia,
ait, & communicationis ne obliviisci; talibus enim
victimis delectatur D E U S. 2. Gratiarum actiones &
preces piorum. ut Psalm. L. 14. sacrificia vel immola-
Deo laudem. Ebr. XIII. 15. Per Christum assiduè offeramus
Deo Θυσίαν αὐγέσεως sacrificium laudis id est fructum la-
biorum confidentium nomini ejus. 3. Vítæ Sanctimo-
nia. Sic Paulus ait Roman. XII. 1. Obsecro vos fratres
per miserationes Dei, ut præbeatis corpora vestra. Θυσίας
hosti-

hostiam viventem, sanctam, placentem Deo, rationalem
cultum vestrum.

§. VII. Posteriore hoc & non alio sensu *Sacrificii* nomen Veteres Eucharistiae accommodarunt, partim quidem imitatione Veteris Testamenti, quod ejus vocabula & phrases Novi ritibus accommodare conveniens vi sum fuerit: partim quod ibi praesens sit id, quod olim materia fuit sacrificii, sive corpus & sanguis Christi, que pro nobis sacrificium Deo Patri in ara crucis obtulit: partim quod Eucharistia utpote Sacramentum & actio a Christo instituta sit Dei cultus ipsi gratius & acceptus, & propterea referatur inter sacrificia spiritualia sive figurata ita dicta, quas rationes enumerat Epitome Calixtina. Hoc & sensu Nos Protestantes adhuc hodie administracionem S. Eucharistiae non minus ac Veteres ob jam allatas rationes *Sacrificium* appellare non dubitamus. Vocatur videlicet a Nobis Eucharistia *Sacrificium*, partim quia in vero usu Eucharistiae nos totos cum anima & corpore Deo consecrare ac in hostiam offerre debemus: partim quia ibidem praesens est vera illa victimam in ara crucis Deo Patri oblata, nempe idem numero corpus, quod pro nobis in mortem traditum, & idem sanguis, qui de saucio latere effluxit: partim quia in Eucharistia Deo Patri Christi mors, quam verissimum & propriè dictum sacrificium esse §. præced. diximus, offertur per preces, tanquam spiritualia sacrificia, quas in vera fide & charitate per corpus & sanguinem Domini hic & nunc præsentia ad Deum mittimus, ut propter illa ita ibidem præsentia Deus omnibus velit esse propitius, & omnia, quæ ad animæ & corporis salutem necessaria sunt, donare, simulquæ eo nomine ipsi gratias agimus, quod nostri

misertus Filium suum unigenitum pro nobis in mortem tradere voluerit: *partim* denique, quia, dum benedictus panis manducatur & vinum bibitur, & corpus, quod in mortem traditum fuit unā cum pane manducatur, & sanguis, qui in 'ara crucis de latere profluxit, unā cūm consecrato vino bibitur, *mortis Domini* tanquam *veri & propriè dicti sacrificii fit commemoration*, eaq; suo quodam modo representatur. Hoc & non alio respetu etiam Apologia Aug. Confess. sub titulo: quid sit sacrificium & quæ sint sacrificii species? inquit: *Nos quidem facile patimur, Missam intelligi juge sacrificium, modo ut tota Missa intelligatur hoc est Ceremonia (administratæ Coenæ) cum prædicatione Evangelii, fide, invocatione, gratiarum actione.* Nam hæc simul conjuncta sunt juge sacrificium Novi Testamenti. Quin nec hoc diffitemur, quatenus preces & obtestationes illæ per Corpus & sanguinem Christi ceu h̄ic & nunc præsentissima fusæ viam habent propitiandi & placandi Deum, eatenus permetti posse, in Missa sive Eucharistia esse *sacrificium propitiatorium impropriè dictum*. Addimus & illud, in quantum preces in agni illius præsentiam fundatæ à dignè participanib; pro omnibus hominibus, etiam absentibus ad Deum fusæ effectum habere possunt ad placandum Deum, dubium non esse, in tantum fructum administratæ Eucharistie *in absentes quoque redundare*; & hanc ob causam iterum Missam sive Eucharistiam *sacrificium, vocabulo impropriè accepto, appellari posse concedimus*.

§. IIX. Hoc autem sacrificio impropriè dicto Pontificii minime sunt contenti insuper contendentes, dari in Missa *verum & propriè dictum sacrificium*. Ita enim

enim Sess. xxii. Cap. i. Synodus Tridentina , quæ Bellarmino lib. v. de Gratia & Lib. arbitr. cap. 13. vox Ecclesiæ Catholicæ (Pontificiæ) audit, docet: *Is Deus & Dominus noster, et si semel seipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri, oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ suæ sponsæ Ecclesiæ visibile (scit hominum natura exigit) relinquere sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum representaretur, ejusq; memoria in finem usq; seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit: ac sub earundem rerum Symbolis, Apostolis (quos tunc Novi Test. Sacerdotes constituebat) ut sumerent, tradidit: & eisdem eorumq; in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in mei commemorationem &c.* Et Cap. 2. *Quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit, docet S. Synodus, sacrificium illud verè propitiatorium esse, per ipsumq; fieri, ut si cum vero corde & vera fide cum metu & reverentia contriti ac pænitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pænitentiæ concedens crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eademq; est hostia, idemq; nunc offerens Sacerdotum ministerio , qui seipsum*

tūc in cruce obtulit, sola offerendis ratione diversa. Cuius quidem Oblationis (cruenta, inquam,) fructus per hanc incruentam uberrimè percipiuntur, tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum profideliū vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolorum traditionem offertur. Qui, bus subiicit aliquot Canones & anathema dicit Can. I. Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium: aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari. Can. 2. Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in mei commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliiq[ue] Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem. Can. 3. Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neq[ue] pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerri debere.

§. IX. Quantum itaque ex his Tridentinorum capitulis, subjunctisque Canonibus videre licet, statuunt illi Autorem hujus Missæ sacrificii, Dominum nostrum I. Christum, Cap. 1. & Can. 2. Materiam, Corpus & sanguinem Christi sub accidentibus panis & vini, Capp. 1. & 2. Formam, Consecrationem. Finem & Effectum, remissionem peccatorum, omnisque generis aliorum tam spiritualium, quam corporalium beneficiorum collationem, cap. 2. & Can. 3.

§. X. Quamvis verò antè conditum Concilium Tridentinum de eo dubitari potuerit, num Christus

in

in prima Sacra Cœna corpus & sanguinem suum verè
& propriè sacrificarit, & ita hoc sacrificium instituerit,
neque in ipso Concilio defuerint, qui graviter oblationem
in novissima Cœna factam oppugnârint, tam
men ex quo illud in dicto illo Concilio cum anathematis fulmine semel decretum, de fide jam apud eos
certum est. Quare, sicut alias, teste Bellarmino lib. I.
de Justific. cap. 12. ita & hoc in negotio Catholici (Pontificii) *Synodum Tridentinam ut magistrum sequuntur*,
& omnes omnibus viribus in Missa verum & propriè dictum sacrificium dari acriter propugnant. Unde Bell.
lib. I. de Missa cap. 5. §. E contrario &c. col. 946. ingen-
tem recenset catalogum eorum, qui suo illo seculo de Sa-
crificio Missæ scripserint, eosq; omnes in eo potissimum labo-
rasse dicit, ut ostenderint, in Missa offerri Deo verè ac pro-
priè Corpus ac sanguinem Domini sub specie visibili panis &
vini.

§. XI. In hoc verò licet omnes conveniant, quod
in Missa scilicet verum & propriè dictum detur sacrifici-
um; si tamen quis ulterius ex iis querat, in quam re
sive actione Sacerdotis formale & Essentia hujus sacrificii
consistat, num in sola consecratione, an verò præter
hanc plures actus dentur, qui Missam formaliter consti-
tuant sacrificium, immanc quantum discrepant. Azo-
rius Tom. I. lib. X. Instit. cap. 19. aliquot ea de re recen-
set opiniones, dicitq; *alios sacrificii totā rationē pone-*
re in verbis, precibus, ceremoniis & ritibus, qui in con-
secratione adhibentur; alios in tribus Sacerdotis actioni-
būs, nempe Consecratione, Oblatione & Sumtione;
alios in quinque, tribus istis fractionem specierum panis
& vini ac earum commissione in interponentes; alios in
dua-

duabus, Consecratione puta & Oblatione ; *alios* in una
nempe Oblatione ; *alios* itidem in una , videlicet Con-
secratione. Ipse autem quam maxime probat eorum
sententiam, qui sacrificij hujus essentiam constituunt *in*
duabus, *aut* summum *in tribus* actionibus, scilicet vel in
Consecratione & Oblatione, vel in Consecratione, Ob-
latione & Sumtione. Bellarminus lib.I. de Missa Cap.
27. putat, eam consistere in duabus actionibus , nempe
in Consumtione Sacramenti à parte Sacerdotis,qua rea-
liter victima oblata destruatur, & Consecratione, quæ
tamen rursus tria includat, in quibus sacrificii veri &
realis ratio consistat: videlicet 1. *Mutationem*, qua res
profana panis scil. fit sacra , immo omnium sacratissima ,
puta, corpus Christi. 2. *Oblationem*, qua res illa profa-
na jam sacra effecta, dum in altari collocatur , Deo of-
fertur. 3. *Ordinationem* ad veram & realem mutatio-
nem. Vasquez. Tom. III. in part. III. Thom. Disp.
CXXII. cap. 8. vult, in eo rationem sacrificii in Missa
consistere, quod Christus, quia in ea per transsubstani-
tationem realiter præsens est, etsi non re ipsa & verè,
sed in sola figura & similitudine dicatur occidi, re ipsa
tamen dicatur immolari & in sacrificium offerri,cum in
cōmemoratione mortis Christi ipsa res, qua fit comme-
moratio, signum sit continens rem ipsam , cuius mortis
fit commemoratio. Gregorius de Valentia Tom.IV.
quæst. XI. p. 1. existimat sacrificium hoc præcipue in
Consecratione consistere, ut tamen simul & in fractione
& in sumtione ejus substantia, minùs licet principaliter,
ponatur. Becanus de Sacram. cap. XXV. qvæst. 6. di-
cit, totam essentiam hujus sacrificii in Consecratione
consistere, sumtionemque Sacerdotalem ad perfectio-
nem

nem tantum accidentalem pertinere. Ita in assignanda sacrificii hujus formali ratione valde variant, quod quis non immerito malæ & suspectæ causæ indicium interpretetur.

§. XII. Quoad effectus verò tam spirituales quam corporales, quos huic Missæ sacrificio adscribunt, una omnium mens est & sententia. Eunt vide licet in sententiam Tridentinorum, eamque per omnia probant. Ea, inquit Catechismus Romanus part. II. cap. 4. quæst. 62. est vis hujus sacrificii, ut non solum immolanti & sumenti profit, sed omnibus etiam fidelibus, sive illi nobiscum in terris vivant, sive jam in Domino mortui nondum planè expiati sint. Neque enim minus ex Apostolorum certissima traditione pro his utiliter offertur, quam pro vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus ac quibusvis calamitatibus & angustiis. Et Bellarm. lib. II. de Missa cap. I. §. Contrarium &c. col. 1045. ex his Synodi verbis: *Crimina & peccata etiam ingentia dimitit;* concludit, illam, ut rem penitus declararet, illis aperte docuisse, sacrificium Missæ non solum propitiatorium esse pro pœnis, sed etiam proculpis, nec solum pro culpis levibus, sed etiam pro gravibus, atq; adeo mortalibus. Illud non solum impetratorium esse spiritualium beneficiorum, sed etiam temporalium, & idcirco offerri posse pro peccatis, pro pœnis & pro quibuscumq; aliis necessitatibus, inq; & pro iis, quos scimus in peccato libenter manere, pro obduratis & impoenitentibus, uti docet cit. loc. cap. IV. §. Quæ sententia S. Thomæ &c. col. 1052. Et col. seqv. 1053. §. Atque hinc &c. Dicitur, inquit, sacrificium Missæ propitiatorium, quia impetrat remissionem culpe; satisfactorium, quia im-

C

im-

impetrat remissionem pœnae; meritorium, quia impetrat gratiam beneficiendi ac merita acquirendi.

§. XIII. Non tantum ergo sacrificii hujus frumentum ad viventes, sed etiam ad defunctos in purgatorio degentes referunt, ut ex illorum verbis §. XII. præced. adductis liquet, imò & ad *Sanctos in cælo cum Christo regnantes* extendunt, ac simul pro iis omnibus salutariter illud offerri contendunt: Pro illis quidem ad eorum è purgatorio liberationem maturandam, vid. Cap. II. Sess. XXII. supra §. IX. adductum & Bellarm. lib. II. de Missa cap. VII. Pro His verò, ut illis per hoc non culpa vel pœna remissio, sive gratiæ vel gloriæ augmentum aliquod impetretur, sed debitus honor exhibetur, utque illorum intercessio ac patrocinium hac ratione paretur ac obtineatur. *Quamvis*, inquit Tridentini Cap. III. *in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit, unde nec Sacerdos dicere solet, offero tibi sacrificium Petre vel Paule; sed D' o de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia in- irat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, orum memoriam facimus in terris.* Et Can. V. anath. i denunciant, si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtainenda, si- cut Ecclesia intendat.

§. XIV. Talia vero operandi & ejusmodi effectus producendi vim sacrificium illud potissimum & præcipue ex opere operato, id est, vigore institutionis divinæ, & non solum ex opere operantis, id est, ex bonitate & devotione ejus, qui operatur, obtainere docent. Hoc vide- licet

licet volunt, effectum & va'orem hujus sacrificii pende-
re principaliter à vi atque dignitate sua ipsi ab Instituto-
re indita, sive ab institutione Christi & non solum ex
conditione ministri sacrificantis. *Sacrificium Missæ*, in-
quit Bellarminus l. II. de Missa cap. IV. non habet vim
solum aut potissimum ex opere operantis, sed etiam ex opere
operato. Dicimus solum, quia negari non potest sacrificium
habere vim etiam aliquam ex bonitate & devotione mini-
stri sacrificantis. Si enim cætera opera virtutum DEO
placent, quatenus ab amico aliquo suo & ex charitate & de-
votione procedunt, cur non placeat eadem ratione opus istud
religionis præstantissimum? Sed negamus hinc tantum aut
hinc potissimum vim habere sacrificium Missæ, atque asseri-
mus vim habere præcipue ex opere operato. Hæc ita Bel-
larminus.

§. XV. Ne autem quis existimet, unumquem-
que sacris ordinibus initiatum potestatem habere sacri-
ficium illud offerendi, eam penes solos Sacerdotes esse,
disertè tradunt. *Potestatem consecandi & offerendi*, in-
quit Estius in lib. IV. Sent. D. st. XIII. §. I. *habet omnis &*
solus Sacerdos juxta ritum Ecclesiae ordinatus, utpote cui &
non alii in sua ordinatione dicitur : Accipe potestatem of-
ferendi sacrificium &c. ut est in decreto Florentino de Sa-
cramentis. Cujus doctrina certissimum fundamentum est
in Evangelio, ubi Christus instituens hoc sacramentum, po-
testatem ejus consecandi & offerendi solis Apostolis contu-
lit dicens : Hoc facite &c. per quos deinde legitima ordi-
natione successoribus eorum, id est, presbyteris omnibus &
solis eam communicatam voluit. De qua re in Lateranensi
Synodo sub Innocentio III. sic legitur. Hoc Eucharistie
sacramentum nemo potest confidere, nisi Sacerdos fuerit

ritè ordinatus secundùm claves Ecclesiae, quas i-
pse concessit Apostolis & eorum successoribus JESUS
Christus.

§. XVI. A Sacerdotibus hisce sacrificium illud
ritè peracturis quatuor cum primis exigunt Tridentini.
Primum est hoc, ut recitent Canonem Missæ Gregoria-
num à Gregorio M. sic appellatum, quem uti omni ex
parte Verbo Dei conformem, adeoque ab errore im-
munem, ita invariatum retinendum esse contendunt.
*Cum sancta, inquit Cap. IV. sancte administrari con-
veniat, siq[ue] hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia
Catholica, ut dignè reverenterq[ue] offerretur ac percipere-
tur, sacrum Canonem multis ante seculis instituit ita ab o-
mni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non ma-
xime sanctitatem & pietatem quandam redoleat, mentes-
que offerentium in Deum erigat: Is enim constat, cum ex
ipsis Domini verbis, tum & Apostolorum traditionibus, ac
Sanctorum quoque Pontificum p[ro]p[ter]e institutionibus. Et*
Can. VI. *Si quis dixerit, Canonem Missæ errores contine-
re, ideoq[ue] abrogandum, anathema sit. Alterum, ut in
Canonis hujus recitatione non tam vulgari & commu-
nicantibus noto linguae genere, quam Latina lingua,
quam iste apud Gregorium M. lib. Sacram descriptus re-
peritur, utantur. Etsi, ajunt rursus Cap. IIIX. Missam a-
gnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expe-
dire visum est Patribus, ut vulgari lingua celebraretur.*
Et Cap. IX. *Si quis dixerit, lingua tantum vulgari Mis-
sam celebrari debere, anathema sit. Tertium, ut non
semper articulatam & claram vocem adhibeant, sed par-
tem ejus aliquam submissā, aliquam verò elatiore voce
pronuncient. Cum natura hominum ea sit, dicunt rursus*
cap. V.

Cap. V. ut non facile queat sine ipsis administriculis exteros
ribus ad rerum divinarum meditationem sustolli propterea
piam mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quedam sub-
missa voce, alia vero elatiore in Missa pronunciarentur, insti-
tuit. Et Can. IV. Si quis dixerit, Ecclesia Rom. ritum, quo
submissa voce pars Canonis & verba Consecrationis profe-
runtur, damnandum esse, anathema sit. Quartum deni-
que, ut solitas ceremonias non negligant. Ceremonias
item adhibuit piamater Ecclesia, ajunt Cap. V. ut mysti-
cas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaq; id
genus multa, ex Apostolica disciplina & traditione, quo &
majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fideli-
um per haec visibilia religionis & pietatis signa ad rerum al-
tissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem
excitarentur. Prolixius illas ceremonias Bellarminus
c.l.cap.XIV. recenset, dicitque earum alias in rebus con-
sistere & prærequiri ad sacrificium, alias in actione & in-
ter sacrificandum adhiberi. Illarum quæ scilic. in rebus
consistunt & ad sacrificium prærequiruntur, rursus
quasdam dicit requiri ex parte personæ, ut vestes sacras;
quasdam ex parte loci, ut templa, altaria, vasa sacra, velu-
ti calix, discus, corporalia, item lumina; quasdam ex
parte temporis, ut nempe præcipue Dominicis diebus,
ut ante meridiem, ut ante omnem cibum fiat. Harum
quoque, quæ scil. in actione consistunt & inter sacrifici-
andum à Sacerdote adhiberi debent, quasdam ait à Sa-
cerdote referri ad Deum, ut elevationem manuum, ele-
vationem oculorum, adorationem per inclinationem
corporis aut genuum curvationem; quasdam ad sacri-
ficium, ut elevationem hostiæ consecrandæ coram Deo,
ostensionem Sacramenti ad populum, fractionem, &

comimixtionem; quasdam ad seipsum, ut tunisionem pectoris, lotionem manuum; quasdam ad populum, ut salutationem & dimissionem ejus; quasdam ad ea quae leguntur in *Missa*, ut cantum & instrumenta Musica. Præter has Missæ proprias etiam aliquot aliis rebus cum Missa communes ceremonias refert, nempe, aspersiōnem aquæ benedictæ, thurificationem, osculum & crucis signum.

§. XVII. Atq; hæc est structura Missatici illius sacrificii, quam, quia haut firmis innititur fundamentis, rursus destruere, non adeò fuerit difficile. Ut igitur clariùs patescat sacrificium, illud planè confitum esse, i. ita argumentamur:

In quo desideratur id, quod ad essentiam veri & propriè dicti sacrificii omnino pertinet, illud non potest esse verum & propriè dictum sacrificium.

Atqui in Eucharistia desideratur id, quod ad essentiam veri & propriè dicti sacrificii omnino pertinet.

Ergo in Eucharistia non est verum & propriè dictum sacrificium.

Major constat ex terminis: Implicat enim verum & propriè dictum sacrificium esse, & tamen non habere, quæ ad essentiam ejus præcisè pertinent, seu de intrinseca ejus ratione sunt. Minor probatur inde, quia, ipso etiam Bellarmino teste, ad essentiam veri & realis sacrificii omnino pertinet rei, quæ immolatur, destructio vel occisio. *Ad verum sacrificium*, inquit lib. I. de *Missa* cap. II. §. Octavò diximus &c. col. 941. requiritur, ut id, quod offertur Deo in sacrificium, planè destruatur, id est,

ita

itam mutetur, ut desinat esse id, quod ante erat. Et paulò post: *Sacrificium est summa protestatio subjectionis nostrae ad Deum, & summus cultus externus, qui exhiberi possit.* Summa autem ista protestatio requirit, ut non solum usus rei Deo offeratur, sed ipsa etiam substantia, & ideo non solum usus sed substantia consumatur. Idem rursus cap. XXVII. §. Hæc sententia &c. col. 1040. *Verum & reale sacrificium veram & realem mortem aut destructionem desiderat.* Et aliquibus interjectis: *Sacrificium verum & reale veram & realem occisionem exigit, quando in occisione ponitur essentia sacrificii.* Constat autem, in Eucharistia Christum verè & realiter haut destrui & occidi, quandoquidem à mortuis excitatus amplius non moritur, nec mors illi dominatur, Rom. VI. 9. Negari proinde nequit, in Eucharistia aliquid desiderari, quod tamen ad essentiam veri sacrificii omnino pertinet, adeoque verum & propriè dictum sacrificium haut esse.

§. XIX. Non desunt quidem, qui vim hujus argumenti infringere conantur hoc modo, ut Minorum negent dicentes, necessarium non esse, sive ad essentiam veri & propriè dicti sacrificii minimè pertinere, ut res, quæ in sacrificium offerri dicitur, destruatur, occidatur aut immutetur, sed sufficere, si circa eam aliquid sacrum fiat. Licet igitur in Eucharistia immolatio, destructio vel occiso locum non habeat, id ipsum tamen obstat non posse, quò minus verum, reale & propriè dictum sacrificium censi queat, cum negari non possit, circa eam aliquid sacrum fieri. *Recentiores Theologi*, inquit Vasquez Tom. III. in III. partem Thomæ quæst. LXXXIII. Artic. I. Disput. CCXX. Cap. II. num. 15. *sui non memores cum explicare volunt, quo pacto Chri-*

*Christus in altari verè immoletur, afferunt, ad essentiam
sacrificii minimè requiri, ut res quæ offerri dicitur in sacri-
ficium, immutetur, sed quamvis id frequentius accidat, fieri
posse, ut absq; ulla physica sui mutatione Deo in sacrifici-
um offeratur, si aliquid sacrum circa illam fiat, quo ad sacros
iussus deputari more humano censeatur, atq; hujusmodi sacri-
ficia sine physica rerum mutatione etiam in lege Mosis insti-
tuta fuisse, autumant Levit. XXIII. & XXIV. nempe sacri-
ficium parum tām propositionis, quām aliorum, quorum ibi
fit mentio. Hæc ita Vasquez d.l.*

§. XIX. Verùm enim verò vanas latebras qua-
rere, quid est, si hoc non est? Etenim 1. hoc qui afferunt
sibi minimè constant. Sacrificium definientes cum rei,
quæ offertur, mutatione fieri dicunt, & tamen rationem
sacrificii in Eucharistia tueri non valentes, eò quòd nul-
lam in eo mutationem fieri deprehendant, ad id confu-
giunt, ut quandoque sacrificium fieri posse censeant,
ubi circa rem, quæ offertur, aliquid sacrum peragitur,
licet illa non immutetur aut destruatur. Hoc verò ni-
hil est aliud, quām sibi apertè contradicere. 2. Con-
fundunt Oblationem cum Sacrificio, quæ inter duo ta-
men notabile est discrimen. Ad sacrificium omnino
requiritur rei, quæ hoc nomine veniat, destructio, occi-
sio vel immutatio; hoc ipsum verò ad quamcunque
oblationem minimè est necesse. Multa enim in Vete-
ri Testamento offerebantur Deo, quæ non destrueban-
tur, sed in usum Sacerdotum cedebant; uti videre est
ex Levit. XXIV. 9. 3. Apertè dicunt falsum. Nam si
ad sacrificium sufficit, ut circa illud sacri aliquid pera-
gatur, sequitur, multa sacrificiis computari debere, quæ
tamen cum iis nihil vel parum habent commune. Vi-

dit

dit id Vasquez, quare loco cit. Cap. III. num. 26. sic scribit: *Alij non potentes defendere veram rationem sacrificii Christi in Eucharistia, quod nullam in eo fieri viderent mutationem, sui non memores dixerunt, posse rem aliquam sine ulla sui mutatione in sacrificium offerri, dummodo circa illam fiat aliquid sacrum; cum tamen definientes sacrificium dixerint, cum immutatione rei, quae offertur, fieri debere.* Hoc tamen responsum supra Capite precedente à nobis impugnatum est: eò quod hi Doctores secum non constent, & definitioni ab ipsis traditæ aduersentur. Et infra num. 29. Colligamus recentiores Theologos, qui asserunt, Christum in altari verè immolari, & ut hoc defendant, dicunt, ad rationem sacrificii necessarium non esse, id, quod offertur, aliquo modo immutari, sed satis esse, si aliquid sacram circa illud fiat, non solum sibi ipsis aduersari, sed etiam falsum asserere: tūm propter rationes dictas, tūm quia sequeretur, eum, qui in Sacerdotem consecratur, & templum etiam, cum benedicitur aut consecratur, & calicem similiter immolari & sacrificari, cum aliquid sacrum circa hæc omnia fiat.

§. XX. Vasquez igitur cùm hac ratione vim nostri argumenti haut infringi satis intelligat, aliam elabendi rimam quærit, & distinctione inter sacrificium Absolutum & Relativum seu Commemorativum nervum ei incidi posse existimat. Ut, inquit loco citato num. 26. huic argumento respondeamus, notandum est, duplex esse genus sacrificii: quoddam enim est absolutum, nempe quod non est alterius sacrificii commemoratio, veluti mactatio pecudis, vel alterius rei consumtio. Aliud vero dici potest Relativum, seu Commemorativum, cuius exemplum solum habemus in sacrificio altaris, quod Commemorativum

D

rativum

rativum dici potest : & quamvis in hoc non fiat immutatio rei, quæ hoc modo offertur, reperitur tamen vera significatio & nota divinæ Omnipotentie, sicut in sacrificio absoluto, & ita non minus ei convenit vera ratio sacrificii, quam sacrificio cruento & absoluto. Hoc vult dicere: Licet ad absolutum sacrificium, quale fuit illud, quod in ara crucis Christus ipse peregit, destructio vel occisio omnino requiratur, id ipsum tamen non statim locum habet in Sacrificio relativo sive commemorativo, sive, quod idem est, in sacrificio Missæ, quod sacrificium ideo vocatur, quod eo cruentum illud Christi sacrificium in cruce oblatum repræsentatur, inque eo istius fit commemoratio.

§. XXI. Sed nec hac distinctione nostrum argumentum vi sua destituitur. Nam si in sacrificio illo relativo seu commemorativo, hoc est, in Eucharistia locum non habet immutatio, destructio vel occisio corporis Christi, sed tantummodo mors illa Christi, quæ absolutum sive propriè dictum fuit sacrificium, hoc ipso repræsentatur sive commemoratur, utique Eucharistia sive commemorativum illud sacrificium, verum & reale sive propriè dictum sacrificium esse nequit. Ut vim nostræ collectionis quilibet capere possit, ex superabundanti denuò sic colligimus: Cui sacrificio deest aliquid quod ad veri & propriè dicti sacrificii naturam seu essentiam pertinet, illud nec est, nec potest esse sacrificium verum & propriè dictum. Atqui sacrificio illi repræsentativo seu commemorativo, hoc est, sacrificio Missæ vel Eucharistiæ deest aliquid, quod ad naturam seu essentiam veri & propriè dicti sacrificii pertinet, nempe corporis Christi, quod offerri dicitur, destructio, immutatio

tatio seu occisio. Ergò non est verum & propriè dictum sacrificium.

§. XXII. Non equidem negamus, cùm Eucharistia juxta institutionem Christi ritè celebratur, verum & propriè dictum illud sacrificium à Christo semel in ara crucis Patri suo cœlesti in reconciliationem generis humani oblatum repræsentari & mortis Christi commorationem fieri, juxta illud Apostoli I. Corinth. XI. 26.
Quotiescumq; ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec venerit : inde verò verum & propriè dictum sacrificium extrui posse negamus & pernegamus. Dicatur itaque Eucharistia seu Missa, nobis non invitis aut repugnantibus, sacrificium relativum, repræsentativum seu commemorativum, & quidem eo nomine dicatur, quòd mors Christi, quæ verum & propriè dictum fuit sacrificium, Eucharistiæ celebratione repræsentetur & commemoretur ; modò non dicatur, eam verum, reale & propriè dictum sacrificium esse.

§. XXIII. Poterat hoc argumentum unicè sufficere ad destruendum Missaticum illud Pontificiorum sacrificium, ut tamen id, quod diximus, adhuc reddatur manifestius, sic porrò (II.) argumentari placet:

Quod sacrificium est unicum & semel tantum oblatum, illius non dantur plura, & per consequens, illud sæpius iterari nequit.

Atqui sacrificium Christi est unicum & semel tantum oblatum,

D₂

E. iL

E. illius non dantur plura; & per consequens illud sæpius iterari nequit. Eucharistia ergo sive sacrificium illud Missæ non est verum & propriè dictum C H R I S T I sacrificium.

Major rursus ex terminis patet: quod enim non est nisi unicum, illud pluralitatem in eodem genere non admittit. Unicus videlicet filius non admittit pluralitatem filiorum; unicus hæres non potest consistere cum pluribus; unica uxor plures excludit. Pariter unicum sacrificium excludit sacrificiorum multitudinem. Rursus quod sacrificium semel tantum est oblatum, id non potest iterari sive sæpius dici offerri; Pugnant enim hæc duo, semel tantum oblatum esse, & sæpius singulis ferè diebus offerri. Minorem nobis suppeditat Scriptura, quæ non nisi unius sacrificii propriè dicti à Christo oblati meminit. *Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis, ut nos ad DEUM adduceret, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, inquit S. Petrus I. Epist. Cap. III. ¶. 18. Adveniens Christus Pontifex futurorum bonorum per majus & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non hujus structurae, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium, aeternam redemtionem naectus*, ait Autor Epistolæ ad Ebr. Cap. IX. II.12. Et iterum: *Non, ut sæpè offerat semetipsum (Christus ingressus est) sicut Pontifex ingreditur in sacrarium quotannis cum sanguine alieno: (alioquin oportuisset eum sæpè passum fuisse à condito mundo) Sed nunc semel sub consummationem seculorum ad abolendum peccatum per immolationem sui ipsius patefactus est.* Et sicut illud statutum est

est hominibus, ut semel moriantur, postea verò judicium: ita & Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleret,
vers. 25. 26. 27. 28. Sanctificati sumus per oblationem cor-
poris IESU Christi semelfactam, cap. X. 10. Et paulò pòst
versu nempe 12. Hic (scilicet Sacerdos Christus) una
pro peccatis oblata victima in perpetuum sedet ad dextram
Dei. Et iterum v. 14. Unicà oblatione consecravit in per-
petuum eos, qui sanctificantur.

§. XXIV. Neque obstat (I.) si quis cum non
nemine dixerit, hæc duo inter se minimè pugnare, sed
benè consistere posse, unicum videlicet alicujus esse sa-
crificium, & tamen illud sæpiùs offerri seu oblatum esse,
cùm utrumque asserat Scriprura, quando dicit, Chri-
sti unicum esse sacrificium & tamen illud ipsum sæpiùs
iteratum esse in Veteri Testamento, quandoquidem
agnus (Dei) fuerit occisus ab origine mundi Apoc. XIII. 8.
Etenim i. possumus dicere cum Aretha in Commenta-
rio hujus loci, postrema hæc verba, nempe, *λόγος κατεβό-
λῆς κόσμου*, non referenda esse ad proximè præcedens
nomen *Agni*, sed ad remotius, nempe ad *librum vitæ*,
per trajectiōnem Scripturæ haut inusitatam; præsertim
cùm inferiùs verba hæc sic ordinata legantur, Cap. scili-
cet XVII. ¶. 8. *Mirabuntur incolæ terræ, quorum nomina
scripta non sunt in libro vitæ à jactis mundi fundamentis.*
Adscribamus ipsa verba Arethæ prisci illius aut Com-
mentatoris aut Collectoris: *Per hyperbaton hoc, ait, in-
telligendum est, ut sit hic sensus: Quorum non sunt scripta
nomina ab origine mundi in libro vitæ agni, qui occisus est.*
*Siquidem quorum scripta sunt, ab origine mundi scripta
sunt: Ita enim opertet intelligere, non ut Scriptura habet,*
quia neque ab origine mundi facta est agni occasio. Hæc ille

D₃

in

in hujus loci cōmentario. Nihil ergo aliud, hac ratione si locaverimus verba, hoc loco dicitur, quām Agnum Dei illum, hoc est, Christum esse occisum. Ex eo autem, quod Christus dicitur occisus, minūs rectē colligitur ipsius sacrificium in Veteri Testamento sāpiūs fuisse iteratum, seu quod idem est, ipsum etiam in Veteri Testamento immolatum & sacrificatum esse. Posito tamen (2.) hæc verba, uti jacent, esse accipienda, sic videlicet, ut illa: *ab origine mundi*, ad Agnum spectent, sicut communiter accipi solent, nec sic aliquid ex iis concluditur, quod Majorem nostri argumenti labefactare possit. Facilè enim intelligitur, non hoc verbis illis denotari, quod Christus ab origine mundi, & sic priùs, quām incarnatus fuit & in lucem editus, fuerit passus & occisus; id quod Scriptura meritò tanquam maximè absurdum rejicit, adeoque disertè negat, *Christum sāpē passum fuisse ab origine mundi* Ebr. IX. 26. Sensus igitur est, cùm Agnus ille, hoc est, Christus *ab origine mundi* dicitur *occisus*, ab origine mundi seu sacrificiis Veteris Testamenti occisionem & mortem ejus fuisse præfiguratam & adumbratam, effectumque & fructum ejus etiam ad eos spectare, qui ab exordio mundi vixerunt. Non malè Gregorius de Valentia Tom. IV. Disp. VI. quæst. XI. punct. 1. p. 1463. *Sacrificium*, inquit, *crucis secundum effectum & fructum non tantum jam in Ecclesia habet usum, verū etiam antè habuit in lege Veteri & naturaejam inde usq; ab exordio mundi.* Nunquam enim fuit aliud nomen, in quo esset salus, præterquam Iesu Christi, per cuius gratiam & meritum salvati sunt, qui unquam salvifuerunt, ut definit Apostolus Petrus Act. XV. in Antiochenæ Synodo. Quam ob causam Christus dicitur agnus

agnus occisus ab origine mundi *Apos.* XIII. quoniam ejus
passio divinis oculis ab initio præsens nunquam non fuit acce-
pta Deo pro peccatis hominum. Qualis autem quæso con-
sequentia? Agnus ille Dei, hoc est, Christus dicitur oc-
cisoris ab origine mundi, vel quia in sacrificiis Veteris Te-
stamenti illa Christi mors fuit præfigurata, vel quia effe-
ctus sive fructus ejus ad eos quoque redundavit, qui ab
initio mundi vixerunt; Ergò Christus sæpiùs (verè &
propriè) fuit occisus seu immolatus. Planè certe nulla.
His itaque non obstantibus nostra Major stat adhuc in-
concupissa, nempe, unicum sacrificium non posse multi-
plicari seu sæpiùs iterari.

§. XXV. Neque (II.) aliquid Majoris nostræ
veritati per hoc decedit, si quis dixerit, unicum esse
Christi sacrificium, nempe illud, quo *semetipsum semel*
obtulit Ebr. VII. 27. & tamen ex Scriptura nihilominus
constare, in cœlis ipsum *pro nobis interpellare* Roman.
IX. 24. Ebr. VII. 27. & *in conspectu Dei pro nobis appa-*
rere Ebr. IX. 24. seu quod idem est, pro nobis in cœlis
se Patri suo offerre. Non proinde hæc pro pugnanti-
bus habenda esse, unicum Christi esse sacrificium, &
ipsum Christum sæpiùs se offerre. Veram enim
verò salva adhuc res est: aliud scilicet est, *semetipsum*
pro populi peccatis offerre, quod Christus semel tantum
fecit; aliud est, se offerre, ut interpellatorem & ad-
vocatum seu per intercessionem. Cum oblatione illa
priori semel tantum factâ, quæ propriè dictum fuit sa-
crificium, consistere non potest ejus iteratio; cum im-
plicet, semel tantum in sacrificium oblatum esse, & ite-
ratò seu sæpiùs offerri. Unde & in Epist. ad Ebræos cap.
IX. 25, negatur, quod Christus *semetipsum sèpè offerat.*

Benè

Benè verò cum hac oblatione semel facta potest considerere ista apparitio coram Patre cœlesti, sive oblatio quæ fit per interpellationem, seu per corporis sui, in quo tota actanta humani generis causa passus est, ostensionem vel exhibitionem. *Nonnulli*, inquit Theophylactus Commentar. in Epistolam ad Romanos cap. IX. 34. interpellat pro nobis sic intellexerunt, quod quatenus corpus ferat, nec deposuerit ipsum, uti Manichæi nugantur, illud ipsum esse interpellationem & intercessionem ad Patrem. Intuens enim in illud Pater recordatur dilectionis erga mortales, propter quam gestavit corpus filius suus, atque ita ad miserationem & misericordiam inflectitur. Et rursus in cap. VI. Epistolæ ad Ebræos §. 27. Illud ipsum, quod Filius carnem gerens Patri assidet, intercessio est pro nobis, tanquam caro pro nobis exoret Patrem, ut quæ ob hoc ipsum omnino sit assumta, nimirum ob nostram salutem. Hæc ipsa autem corporis Christi pro nobis passi & crucifixi in cœlis exhibitio, uti non est verè & propriè dictum sacrificium, ita nec illius iteratio verè dici potest. Non, ait Oecumenius in Comment. in Epistolam ad Ebræos cap. IX. 24. *ut frequenter semetipsum offerat (Christus) ingressus est in cælum: siquidem frequenter victimas per sanguinem offerre eorum est, qui in exemplaria verorum iugrediuntur; at non illius, qui in ipsum ingressus est cælum.* Et paucis interjectis: *Cum victimæ proprii corporis (Christus) ascendit, ut appareret apud Patrem pro nobis, hoc est, ut nos ipsi reconciliaret.* Non ut sapius offerat semetipsum, hoc fecit, inquit, nempe quod ascendit in cælum. Hoc itaq; non obstante, quod Christus ad dextram DEI sedens pro nobis interpellat, & corpus suum in mortem nostri causa traditum Patri suo cœlesti jugiter

jugiter offert seu exhibet, immotum manet id, quod diximus, nempe de illo sacrificio, quod non est nisi unicum & semel tantum oblatum, non posse verè dici, quòd sæpiùs repetatur & jugiter offeratur.

§. XXVI . Multò minùs argumenti nostri firmitas labefactatur (III.) per hoc, si quis dixerit, distinguendum esse inter cruentum & incruentum sacrificium. Licet enim verum sit, quòd sacrificium Christi cruentum unicum sit numero, adeoq; iterari nequeat; inde tamen non sequi, quòd pariter incruentum illud, quod in Missa peragitur, numero solùm sit unum, adeoque initerabile; neque de incruento illo Christi sacrificio, quod in Missa offertur, sed de cruento, quod in ara crucis fuit peractum, Scripturam loqui, quando dicit, Christi sacrificium unicum tantum esse, idq; semel solùm ab ipso oblatum. Unde & Bellarminus lib. I. de Missa cap XXV. ad loca Pauli adducta facilimè responderi posse existimat, hoc videlicet modo, ut dicatur, ea non de incruenta sed cruenta Christi oblatione accipienda esse. Sic enim loc. cit. scribit: *Verba illa cap. IX. epistolæ ad Ebræos: Neque ut sæpiùs se offerat &c. aptissimè omnium expositorum consensu de cruenta oblatione accipienda sunt: nam mox idem Paulus subiungit: alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. sensus igitur est: Christus non intravit in cælum per primam sui oblationem, id est, per mortem suam, ut deinde exeat, & se offerendo & moriendo iterum intret, & hoc sæpiùs repeatat, quemadmodum Pontifex Leviticus per victimam intrabat sanctuarium & exhibat, & rursus iterum per aliam victimam intrabat & exhibat:*

E

bat:

bat: alioqui oportuisset Christum ab origine mundi singulis generationibus se offerre ac mortem pati; sed unica oblatione, id est, unicā morte peccata totius mundi purgavit, & cœli aditum omnibus hominibus aperuit. Videmus igitur, Apostolum non excludere quamlibet iterationem oblationis Christi, sed eam solam, quæ mortem ipstius requirit. Illa quoque verba cap. X. Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel. Et illa: Una oblatione consummavit in aeternum sanctificatos: similiter de cruenta oblatione intelligenda sunt. Sensus enim est: per unam Christi mortem sanctificati sumus, immo etiam consummati sumus, adepti videlicet non solum remissionem peccatorum, sed etiam ornamenti justitiae & ipsam beatitudinem; & hoc in sempiternum; id est, pro omnietate & generatione, ut jam non egeamus alio Christo, qui morte sua nos redimat: vel ut idem Christus pro nobis, vel pro aliis saepius moriatur. Hoc vult dicere Bellarminus: quamvis recte ex hisce scriptura dictis colligatur, cruentam Christi oblationem esse ininterabilem; inde tamen minus recte concludi, ne quidem incruento modo Christum saepius offerri posse. Verum nec hac distinctione argumentum nostrum de sede sua dejicitur. Nam Scriptura simpliciter & absolute dicit, Christi sacrificium esse unicum, idq; semel tantum oblatum; Non itaque illud saepius offertur, scilicet propriè, ne quidem modo incruento. Si tamen Pontificii Missam sive Eucharistiam ideo velint sacrificium appellare, & quidem incruentum, quod in eo mortis Christi, quæ cruentum fuit sacrificium, representatio sive commemoratione fiat, cum ipsis ea de re non multum contendemus, modo nobis rursus lat- gian-

giantur, incruentum illud sacrificium non esse propriè dictum sacrificium, adeoq; nec cruenti illius iteratio nem. Illud, ait Magister sententiarum lib. IV. dist. XII. quod offertur & consecratur à sacerdote vocatur sacrificium & oblatio, quia memoria est & representatio veri sacrificii & sanctæ immolationis factæ in ara crucis. Et semel Christus mortuus est, ibi⁹ immolatus in seipso, quotidiè autem immolatur in Sacramento, quia in Sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel. Et Liranus in cap. X. Epistolæ ad Ebræos: *In Sacramento altaris non sacrificii iteratio, sed unius sacrificii in cruce oblati quotidiana commemoratio, propter hoc dicitur Luc. XXII.* Hoc facile in meam commemorationem. Quod si vero in Sacramento altaris seu in Eucharistia sacrificii in cruce oblati commemoratio solùm fit, eoq; nomine sacrificium appellatur, in proclivi est, in ea verum & propriè dictum sacrificium non dari, nec Christi sacrificium iterari. Quam in sententiam scribit quoq; Thomas part. III. quæst. LXXXIII. Artic.I. responsione ad quæsti onem, utrum immoletur Christus in hoc Sacramento (Eucharistiæ?) *Dupliciratione celebratio hujus Sacramenti dicitur immolatio Christi.* Primo quidem, quia sicut dicit August. ad Simplicium, solent imagines earum rerum non minibus appellari, quarum imagines sunt: sicut cām intuentes tabulam aut parietem pictum dicimus, ille Cicero est, & ille Salustius. Celebratio autem hujus Sacramenti imago quedam est representativa passionis Christi, quæ est vera ejus immolatio. Et ideo celebratio hujus Sacramenti dicitur immolatio. Unde Ambrosius dicit super epistolam ad Ebraeos: *In Christo semel est oblata hostia ad salutem sempiternam potens; quid ergo nos: nonne per singulos*

*los dies offerimus : sed ad recordationem mortis ejus.
Alio modo quantum ad effectum passionis Christi : quia scilicet per hoc Sacramentum participes efficimur fructus dominice passionis. Unde in quadam dominicali oratione secreta dicitur : quoties hujus hostie commemoratio celebratur , opus nostrae redēptionis exerceatur. Sive autem priori sive posteriori modo Missa seu celebratio Eucharistiae vocetur immolatio seu sacrificium Christi , impropriè immolationem seu sacrificium Christi appellari necesse est. Et tantum de arguimento secundo.*

§. XXVII. Progredimur itaque ad aliud & (III.) sic argumentamur:

Ubi est sacrificium verè & propriè sic dictum , ibi verè & propriè dictum oportet esse sacerdotem.

Atqui in Novo Testamento post Christum in cœlos sublatum verè & propriè dicti sacerdotes in terris non sunt.

E. & post Christum in cœlos sublatum in terris verè & propriè dictum sacrificium non datur ; & per consequens , Missa seu celebratio Eucharistiae verè & propriè dictum sacrificium censeri nequit.

*Major ex eo patet , quia sacrificium & sacerdos se habent ut relatum & correlatum , vel potius ut effectus & causa ; posito autem uno relatorum & alterum ponere necesse est : posito item effectu fieri nequit , quin & causa ponatur. Minor ex eo constat , quia dicente Apostolo Ebr. II. 3. *Omnis Pontifex (omnis item sacerdos) ad offerenda dona & victimas constituitur.* Cùm verò post peractum illud Christi in ara crucis sacrificium ,*

um, quod sacrificiis Veteris Testamenti fuit præfiguratum, victimarum propriè dictarum oblatio cessaverit, adeoq; non sint, qui post Christi in cœlos ascensionem in terris amplius in Ecclesia Dei victimas tales offerant, ne quidem propriè dictos in terris existere sacerdotes planum est. Unde & Apostolus non solum dicit, Christum esse sacerdotem in aeternum secundum ordinem Melchisedech Ebr. VII. 21. ipsumq; perpetuum habere sacerdotium §. 24. sed & negat, ipsum esse sacerdotem, si in terra adhuc esset cap. IIIX. §. 4. cum, uti dictum est, in terris non sint amplius, qui post Christi passionem, mortem & in cœlos ascensionem victimas sive propriè dicta sacrificia offerant.

§. XXIX. Neque obstat, si quis dixerit, ipsam scripturam passim indigitare, etiam in Novo Testamento post oblatam illam Christi victimam sacerdotes extituros, veluti cum dicitur Es. LXI. 6. *Vos sacerdotes Jehovæ vocabimini, ministri Dei nostri.* Et rursus Es. LXVI. 21. *Et ex eis (id est, ex gentibus) assumam sacerdotes & Levitas, dicit Dominus.* Ex quibus locis Valentia Tom. IV. Disp. VI. quæst. XI. punct. I. pag. 1448. contra nos ita insurgit: *Sacerdotes propriè dicti, qui scilicet peculiari delectu ex reliquo hominum cœtu assumantur, ad id munera eliguntur, ut offerant propriè dictum sacrificium.* Ait enim Apostolus ad Ebr. 5. non speciatim, omnis Pontifex Leviticus sed universè omnis pontifex (sive sacerdos; pro eodem enim eo in loco utrumque nomen indifferenter accipit,) ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat sacrificia & dona pro peccatis. Quod ipsum ex notione nominis est perspicuum. Nam ut iij sacerdotes impropriè

E 3

dicun-

dicuntur, qui sacrificia impropriè sic dicta offerunt: ita sacerdos propriè is est, qui offert proprii nominis sacrificium. Assumantur autem divinitus in Ecclesia delectu habitu ex communi Christianorum cœtu sacerdotes, qui proinde veri nominis sacerdotes sint, & eam ob causam iidem ministri etiam Domini dicantur, ut ex his Esiae testimoniis patet. Est igitur sacrificium aliquod propriè dictum in Ecclesia, ad quod offerendum deligantur sacerdotes à Deo, quodq; sit bonum atq; legitimum. Porrò nullum aliud hujus generis sacrificium in Ecclesia præterquam sacrificium Missæ usurpatum est: Missæ igitur sacrificium est illud, ad quod benè legitimeq; offerendum Deus, vaticinum Isiae adimplens, deligit sacerdotes. Verūm enim verò concessâ Majore negamus Minorem. Negamus scilicet, in Novi Testamenti Ecclesia assumi ex cœtu Christianorum in ministros verbi sacerdotes veri nominis, seu propriè sic dictos, id est, tales, qui propriè dictum sacrificium offerant; Neque id in citatis Prophetæ locis licet deprehendere. Dicimus igitur, si modo in utroque loco de temporibus Novi Testamenti sermo est, per sacerdotes intelligi posse i. ingenere quoscunque fideles sive Christianos, qui sacerdotes vocantur Apoc. I. 6. & sacerdotium sanctum i. Pet. II. 6. quia spirituales hostias offerunt acceptas Deo per Jesum Christum, uti l. c. dicitur; vel uti S. Paulus loquitur Rom. XII. i. quia corpora sua sicut hostiam vivam, sanctam & acceptam Deo. Hujusmodi verò sacerdotes spirituales, uti non sunt sacerdotes propriè dicti, ita nec spirituales illæ victimæ, quas offerunt, veri nominis sunt sacrificia. Posito verò utrobique per sacerdotes illos verbi ministros denotari, nec sic conficitur, eos

pro-

propriè sacerdotes esse , cùm propriè non sacrificent ,
seu Deo vera & propriè dicta sacrificia in Novo Testa-
mento haut offerant . Scitè Theodoretus Comment.
in Epistolam ad Ebræos Cap. IIX. 4. ad hanc quæstio-
nem , qua quæritur : *Si & sacerdotium , quod ex lege est ,*
finem accepit , & sacerdos , qui est secundum ordinem Mel-
chisedech obtulit sacrificium & effecit , ut alia sacrificia
non essent necessaria , cur Novi Testamenti sacerdotes li-
turgiam peragant ? sic respondet : *Clarum est iis , qui*
funt in rebus divinis eruditi , nos non aliud sacrificium of-
ferre , sed illius unius & salutaris memoriam peragere .
Hoc enim nobis præcepit ipse Dominus , Hoc facite in meam
commemorationem : ut per contemplationem typi susce-
ptarum pro nobis per pessimum recordemur , & charitatem
in benefactorem accendamus & futurorum bonorum per-
ceptionem expectemus . Ex eo itaque , quod verbi mi-
nistri Eucharistiam conficiunt , dispensant , & sic me-
moriam unius illius sacrificii à Christo in cruce oblati
celebrant , haut evincitur , illos verè & propriè Chri-
stum immolare , Deoq; Patri offerre , & ita propriè lo-
quendo sacerdotes esse , cum , autore Theodoro , hoc
agentes non tām sacrificent , quām unius illius sacrifi-
cii Christi in cruce oblati sive mortis ejus memoriam ef-
ficaciter renovent . Memoriam autem sacrificii istius
veri & propriè dicti in Eucharistia reficare , haut est ,
Christum verè & propriè immolare sive in sacrificium
offerre . Ipse quidem Christus , qui corpus suum in-
victimam Deo verè obtulit , propriè sacerdos erat , i-
mò , ut Theophylactus ex eo , quòd constitutus fuit
Christus Novi Testamenti propriè dictus sacerdos , in
Comment. epistolæ ad Ebræos cap. IIX. 3. cum Apo-
stolo

stolo recte concludit, ipsum & mortem subire & ita corpus suum in victimam offerre debuisse, inquiens: *Quandoquidem Christus sacerdos erat, sacerdos autem sine hostia non est, necessarium erat habere quoddam & hunc, quod offerat. Hoc autem nihil erat praeter ipsum corpus. Necessario itaque mortuus est: inde verò colligi nequit, & Ministros Christi in Novo Testamento verè sacerdotes esse, cùm illi propriè loquendo victimam veram & propriè dictam, celebrantes Eucharistiam, Deo non offerant seu proprie non sacrificent.*

§. XXIX. Principium itaque petit Vasquetz, dum tanquam rem notam & ab omnibus concessam sumit id, quod in quæstione est & probatione maximè opus habet, nempe in Novo Testamento post Christum sacerdotes propriè dictos dari, indeq̄ concludit, Missam seu Eucharistiæ celebrationem propriè dictum, & quidem propitiatorium sacrificium esse. *Tertium*, ait loc. cit. disput. XXIII. Cap. III. *quod mibi probatur (tanquam idoneum ad probandum sacrificium incruentum, quod à sacerdotibus in Missa offertur propitiatorium esse, sicut sacrificium cruentum crucis) est Pauli ad Ebr. cap. V. ubi dicitur: Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Quibus verbis describit Paulus munus sacerdotis in universum, ut inde colligat, Christum eodem modo assumtum fuisse, & pro hominibus à Deo constitutum sacerdotem. Cùm igitur in Ecclesia sua ipse etiam reliquerit & constituerit sacerdotes, opus fuit, ut ad offerendum munera & sacrificia pro peccatis eos constitueret: nullum autem aliud sacrificium ipsis reliquit nisi sacrificium Missæ: Ergo necesse est, ut illud*

illud ab eis pro peccato offeratur. Probare prius Vasquetz debuisset, Christum in Ecclesia sua reliquisse & constituisse sacerdotes veri nominis, quam inde concluderet, eos veri nominis sacrificium in Eucharistia pro peccatis hominum offerre, adeoq; Missæ sacrificium esse propriè dictum sacrificium, quod quia non facit, nobis hac ratione minimè persuadebit, Missam seu Eucharistiam verè & propriè dictum esse sacrificium.

§. XXX. Deniq; (IV.) pro nostra sententia sic argumentamur:

Quod prisca Ecclesia pro veri nominis sacrificio non habuit, id sine dubio veri nominis sive propriè dictum sacrificium non est.

Atqui prisca Ecclesia pro veri nominis sacrificio Missam sive Eucharistiam (liceat enim hæc duo vocabula promiscuè usurpare) nō habuit.

E. sine dubio verè & propriè dictum sacrificiū nō est. De Majoris probatione, ut valde laboremus, haut putamus esse opus; cùm sine dubio Ecclesia Novi Testamenti sua sacrificia propriè dicta, si quæ habet, non minùs cognita habeat, quam Ecclesia Veteris Testamenti. Minorem verò probatum iri confidimus, ubi ostenderimus, aliud sacrificium in Missa non agnoscisse priscae Ecclesiae Doctores, quam sacrificium laudis, gratiarum actionis & mortis Christi commemorationis. Hujusmodi verò sacrificium veri nominis haut esse, manifestum est. Ex multis aliqua huic rei fidem facientia antiquitatis producemus testimonias. Sic autem Justinus Martyr seculo II. Dialogo cum Tryphone Iudæo p. 260. edit. Paris. *Similæ*, ait, *oblatio pro eis*, qui à lepra purgabantur, ut offerretur, tradita, figura fuit panis Eucharistie, quem in recordationem passionis, quam pro his sustinuit hominibus, quorum animi ab omni

F

purifi-

purificantur, pravitate Jesus Christus Dominus noster facere precepit, ut gratias ageremus Deo cum pro eo, quod mundum universis, quas complectitur, rebus hominis gratiam crearet, tum ob id etiam, quod ab omni, in qua fuimus, malitia nos liberaret, ac principatus potestatesque occiderit occidione per eum, qui de voluntate ejus factus est patibilis. Et infra p. 345. Supplicationes simul & gratiarum actiones, quae a dignis peraguntur, solas perfectas esse & Deo caras victimas ipse affirmaverim. Has vero solas Christiani facere didicerunt in ipsis etiam almoniae suae recordatione arida juxta & liquida: in qua & passionis, quam pertulit, per ipsum Deus Dei meminit, cuius nomen per terram omnem profanari & blasphemij impie violari curarunt Pontifices populi vestri & Rabbini, Tam igitur propter preces, quam propter commemorationem mortis Christi Eucharistia sacrificium vocatur. Clemens Alexandrinus lib. VII. Stromatum. p. 706. edit. Paris. Dico esse sacrificium Deo gratum & acceptum cor a superbia & fastu alienum cum recta scientia. Et pag. seq. Merito Deo non sacrificamus, qui nullius indiget, & omnia praeuit hominibus: sed eum glorificamus, qui pro nobis est sacrificatus, nos ipsos sacrificantes. Et pag. 719. Oportet Deo offerre sacrificia non sumptuosa ac splendida, sed quae sunt pia & ei accepta & suffitum illum in lege compositum, qui constat ex multis linguis & vocibus in oratione, vel potius, qui ex diversis gentibus & sexibus per donum testamentorum construitur in unitatem fidei & in laudibus congregatur mente quidem pura, justa autem & recta vita institutione, ex sanctis operibus & justa oratione. Propter preces itaque & gratiarum actiones, quae in celebratione Missae sive Eucharistiae peraguntur, convenienter illa sacrificium appellari potest. Sec. III. Cyprian. Ep. LXIII ad Cæciliū: Si Jesus Christus Dominus & Deus noster ipse est sumus

mus Sacerdos Dei Patris, sacrificium Patri seipsum primus ebtulit,
& hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utiq; ille Sacerdos
vice Christi verè fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur. Et
quibusdam interjectis: Passionis ejus mentionem in sacrificiis o-
mnibus facimus: (Passio est enim Domini sacrificium, quod offeri-
mus) nihil aliud, quam quod ille fecit, facere debemus. Scriptura
enim dicit: quotiescumque ederitis panem istum & calicem istum
biberitis, mortem Domini annunciatam, quoad usq; veniat: quo-
tiescumq; ergo calicem in commemorationem Domini & passionis
offerimus, id, quod constabat Dominum fecisse, faciamus. Seculo
IV. Eusebius lib.I. de Demonstrat. Evangelica cap. ult. Christus post omnia, ait, admirabilem quandam victimam eximiumq;
sacrificium Patri suo operatus pro nostra omnium salute obtulit,
eiusq; rei memoriam, ut nos ipsi Deo leco sacrificii offerremus, in-
stituit. --- Igitur sacrificamus & incendimus alias quidem memo-
riam magni illius sacrificii secundum ea, quæ ab ipso tradita sunt,
mysterioria celebrantes & gratias Deo pro salute nostra agentes, re-
ligiososq; hymnos & orationes sanctas illi offerentes, alias nos ipsos
totos ei consecrantes ejusq; Pontifici, ipsi utique Verbo, corpore, a-
nimoque dicantes. Seculo eodem Chrysostomus Homil. XVII.
in Cap. IX. Epistolæ ad Ebræos: Quid ergo nos? Nonne per sin-
gulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed ad recordationem
mortis ejus (Christi) Et una est hac hostia, non multæ. Quomodo
una est & non multæ? postquam semel oblatæ est, illata est in san-
cta sanctorum: hoc autem sacrificium exemplar sive figura est il-
lius, id ipsum semper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum,
crastinâ alium, sed semper eundem ipsam. Proinde unum est sa-
crificium hac ratione. --- Pontifex noster ille est, qui hostiam
mundantem nos obtulit: ipsam offerimus & nunc, quæ tunc obla-
ta quidem consumi non potest. Hoc autem quod facimus, in com-
memorationem quidem fit ejus, quod factum est. Hoc enim faci-
te, inquit, in mei commemorationem. Non aliud sacrificium sicut
Pontifex, sed id ipsum semper facimus: magis autem recordatio-
nem sacrificii operamur. Seculo V.S. Augustinus Epist. XXIII,

ad Bonifacium: Nonne semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in Sacramento non solum per omnes Paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur, nec utique mentitur, qui interregatus cum responderit, immolari. Si enim Sacra menta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacra menta sunt, non haberent omnino Sacra menta non essent: Ex hac autem similitudine plerumq; etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Similia leguntur lib. de Fide ad Petrum Diaconum, qui insertus S. August. operibus habetur: In carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguinis, quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quæ pro nobis obtulit, & sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit. -- In illis sacrificiis quid esset nobis donandum, figuratè significabatur; in hoc autem sacrificio, quid nobis jam donatum sit, evidenter ostenditur. In illis sacrificiis prænunciabatur Filius Dei pro impiis occidendum: in hoc autem pro impiis annuntiatur occisus. Plura hujus rei testimonia adducere supersedemus, cum ex allatis satis superq; constare arbitremur, S. Patres Eucharistiam non alia de causa vocare sacrificium, quam quod, cu[m] ea celebratur, mors Christi, quæ veri nominis fuit sacrificium, commemoratur, Deus suppliciter invocatur, eidemq; gratiæ pro generis humani redemptione agitur. Tantum etiam de hoc argumento.

§. XXXL Restat solum, ut & ea, quibus Pontifici Melchisticum illud suum sacrificium probare, & tanquam verum & propriè dictum omnibus & singulis persuadere satagunt, paucis expendamus. Et quidem (I.) ex eo illud probant, quod Christus vocatur sacerdos secundum ordinem Melchisedec psalm. CX. 4- & Ebr. VII. II. & seq. Cum vero de Melchisedec dicatur, quod fuerit sacerdos altissimi, ac veri nominis sacrificium Deo obtulerit, panem nempe & vinum Gen. XIV. 18. inde inferunt, quod & Christus in ultima cœna panem

nem & vinum in verum sacrificium obtulerit, adeoq; verum,
licet incruentum, sacrificium instituerit. Ita colligunt Bel-
larminus lib. I. de Missa cap. VI. Valentia l. c dtsp. VI. quæst.
XI. §. II. & Becanus t. I. cap. XXV. de Sacramentis in spe-
cie, qui postremus ita colligit: *Melchisedec in oblatione panis
& vini perfectissimè repræsentavit Christum offerentem cor-
pus & sanguinem suum in sacrificio in ultima cœna.* At qui Mel-
chisedec obtulit panem & vinum tanquam sacerdos altissimi, ide-
og; verè sacrificavit. E. & ipse Christus in ultima cœna sacri-
favit; alioqui non exactè figuram illam implevisset. Verùm
Major & Minor in hoc argumento valdè laborant. Unde
enim probabit Becanus, Melchisedecum in oblatione panis
& vini perfectissimè repræsentasse Christum offerentem cor-
pus & sanguinem suum in ultima cœna? Unde probabit,
Melchisedecum obtulisse panem & vitum tanquam sacerdo-
tem altissimi, adeoq; verè tunc sacrificasse? Scriptura sanè
nihil horum dicit. Non sanè dicit posterius, quando Gen.
XIV. 18. ait: *Melchisedec Rex Salem protulit panem & vinum,* &
ipse cùm esset sacerdos Dei altissimi, benedixit ei. Qualis autem
quæso consequentia? Melchisedec Rex Salem, qui etiam
fuit sacerdos altissimi, panem & vinum protulit. Ergò in sa-
crificium protulit. Necesse certè non est, ut illa in usum
sacrificii protulisse dicantur, cùm nihil obstet, quo minus
ad refectionem Abrahæ & servorum ejus ab eo fuerint pro-
lata, præsertim cùm more receptum fuerit, victores pane
& aqua excipere Deut. XXIII. 4. Jud. XX. 5. 6. Hunc sanè in
usum ista protulisse Melchisedecum ex Ebræorum sententia
tradit S. Hieronymus Epist. CXXVII. ad Evagrium: *Non,*
ait, inquit esse mirum, si Melchisedec victori Abraham ob-
*viam processerit, & in refectionem iám ipsius, quam pugnatō-
rum ejus panes vinumq; protulerit, & benedixerit ei, cum abne-
poti suo hæc jure debuerit.* Similiter & Ambrosius lib. IV. de
Sacramentis cap. III. Tunc ait, *victor venit, occurrit illi Mel-*
chise-

achisedec sacerdos, & obtulit ei panem & vinum. Multò minus dicit prius, sc. Melchisedecum in oblatione panis & vini Christum corpus & sanguinem suum in ultima cœna offerentem sive sacrificantem exactissimè repræsentasse. Hoc quidem scriptura tradit, cùm de Christo perhibet, quòd sit sacerdos secundum ordinem Melchisedec, ipsi cum Melchisedeco aliquam intercessione similitudinem; verū istam in sacrificii ratione sitam fuisse, haut dicit; itmò ne sacrificii quidem mentionem ullam facit, dum Christum cum Melchisedeco confert Autor Epist. ad Ebr. cap. VII. sed alia adducit, in quibus Christi typum gesserit. Patet itaq; ex eo, quòd Melchisedec panem & vinum protulit, non evinci, Christum, qui sacerdos secundum ordinem Melchisedec dicitur, veum & propriè dictum sacrificium instituisse.

§. XXXII. Dicunt (II.) insigne testimonium quoq; pro sacrificio Missæ extare Malach. I. 6. 7. ubi Deus per Prophetam ait: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non volam de manu vestra.* Certè ab ortu Solis usq; ad Occasum magnum est nomen meum inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo & oblatio munda: certè magnum erit nomen meum inter gentes ipsas, dicit Dominus exercituum. Quem locum maximè urgent Bellarminus lib. I. de missa cap. X. Valentia l. c. §. 12. & Becanus cap. XXV. de Sacramentis in specie quest. IV. Verū enimverò nec hic locus rem conficit, cùm, qui dixerit, per oblationem mundam preces Christianorum ex puro corde & conscientia pura profetas, bonaq; ipsorum opera, quæ teste Petro I. Epist. cap. II. 5. sunt spirituales quedam hostiae acceptæ Deo per Jesum Christum, intelligi, nihil absurdi dixerit. Hoc sanè sensu verba hæc accipit Tertullianus lib. adversus Judæos, ubi recitatis iis, porrò subjungit: *De spiritualibus sacrificiis additur dicens: Et in omni loco sacrificia munda mihi offerentur.* Et lib. III. adversus Marcionem: *Non est voluntas mea dicit* Domi-

Dominus, & sacrificia vestra non accipiam: quoniam ab ortu
solis usq; in occasum nomen meum gloriatum est in nationibus, &
in omni loco sacrificium nomini meo offertur & sacrificium mun-
dum: Gloriæ scilicet relatio & benedictio & laus & hymni. Et
rursus lib. IV. adversus Marcionem, sacrificium illud mundum
à Malachia predictum dicit esse simplicem orationem de consci-
entia pura. Similia leguntur apud Eusebium Demonstrat.
Evangel. lib. I. cap. 10. Hieronymum in loci adducti Com-
mentario. Si itaq; aliquis Missam seu Eucharistiam propter
preces in ejus administratione fieri solitas oblationem mun-
dam vocari velit, nos haut repugnabimus; inde verò mini-
me probabitur, eam veri nominis sacrificium esse.

§. XXXIII. Dicunt (III.) Sacrificium Missæ insuper proba-
ri ex Joan. IV. 21. 23. ubi Dominus ait: *Venit hora, quando neque
in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis Patrem.* --- *Venit hora,
& nunc est, cum veri adoratores adorabunt Patrem spiritu &
veritate.* Et Act. XIII. 2. *Cum igitur ii ministrarent Domino &
jejunarent, dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum &
Barnabam &c.* Item I. Cor. X. 21. *Non potestis mensæ Domini par-
ticipes esse, & mensæ demoniorum.* Vid. Bellarm. l. cit. cap. XI.
XIII. & XIV. Veram lynceum oporteat esse, qui hisce in locis
viderit contineri, Eucharistiam esse veri nominis sacrificium;
seu, quod idem est, in Missa Christum verè & propriè immo-
lari seu sacrificari. In primo enim loco nihil aliud dicitur,
quam instare tempus, quo Leviticus ille cultus certo loco af-
fixus sit desiturus. *Omnium infiditiam,* scribit in hujus loci
commentario Cyrilus Alexandrinus, simul condemnat, (Chris-
tus) cum adorandi modum, qui apud utrosq; obtinuerat, ad verio-
rem translatum iri ait: *Non enim queretur amplius locus, inquit,
in quo propriè Deum habitare existiment, sed ut qui universa
impleat & continere valeat Dominum, adorabunt unusquisq; de
loco suo, sicut quidam sanctorum Prophetarum ait.* Horum au-
tem

tem & tempus ejusmodi rituum abrogandorum suum in hanc
mundum cum corpore adventum ait. In altero hoc solum dicitur,
quod in Ecclesia Antiochena nonnulli, quorum mentio
facta erat in versu praeced. ministarint Doe & jejunarint, h. e.
ut Syrus habet, obsecraverint Deum & jejunaverint. Non au-
tem sequitur: ministrarunt Deo precando. E. veri nominis
sacrificium obtulerunt. Possunt quidem, ut saepius diximus,
preces aliquo sensu sacrificium vocari, sed spirituale & im-
propriè ita dictum. In tertio dicitur, planè non convenire,
ut infidelis ad mensam Domini accedat, nec fieri posse, ut ta-
lis cum fructu inde discedat. Hoc autem qui dicit, non sta-
tim dicit, Eucharistiam veri nominis esse sacrificium. Ex tri-
bus itaq; adductis illis locis sacrificium hocce nihil acquirit
roboris.

s. XXXIV. Deniq; (IV.) ad ipsam Institutionem Eucharistie &
primam ejus celebrationem provocant, q: & habetur Matth. XXVI.
25. & seqq. Marc. XIV. 22. & seqq. Luc. XXII. 19. 20. I. Cor. XI. 23.
& seqq. Vid. Bellarminus l.c. cap. XII. Verum enim vero in verbis In-
stitutionis non licet reperire, quod Christus seipsum in ultima cœ-
na sub specie panis & vini obtulerit, multò minus, quod alios id fa-
cere jusserrit. Jubet quidem, cum ait, Hoc facite in mei commemo-
rationem, Apostolos eorumq; successores id facere, quod ipso fe-
cerat h. e. sumere panem & vinum, consecrare, & ad manducandum ac
bibendum fidelibus distribuere nobis largiente id Cornelio Jansenio
in Concord. Evang. cap. CXXXI. Mandat, ait ibi, facere, quod ipse
feeit, nempe accipere panem, gratias agere, benedicere ac verbis suis
consecrare -- frangere ac sumere, aliisq; sumendum tradere. Hoc vero
qui jubet facere, non jubet veri nominis sacrificium offerre. In
verbis itaq; Institutionis Missaticum hocce Pontificiorum sa-
crificium nihil invenit praesidij; quod & nos nunc
missum facimus.

F I N I S.

VB 17

7.

21 v

